

S. G. B. T. B.

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



43

COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO X.

continens

ANTIΩΕΣΙΝ ARTICVLI VI.

De Quæstione

Anopera iustorum  
sint meritoria vitæ æternæ,

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergensi

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. JOHANNE Brunneman

Colonia-Marchico.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 18. Maij.

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.



COLLEGII TERRITORI  
AUGUSTINIANO CONVENTU

DIBUTATIO X.

CONFUSIONE

ARTICULATI

Q. 50.

ANODESIS ILLIGATIONE A

CONFUSIONE ARTICULAZIONE

ARTICULAZIONE CONFUSIONE

ARTICULAZIONE CONFUSIONE

ARTICULAZIONE CONFUSIONE

JACOB MARTINI S. TH.

Dog. & Prog. U. P. B. G. H. S. C. T. H. S. O.

DISC. & PROG. U. P. B. G. H. S. C. T. H. S. O.

DISC. & PROG. U. P. B. G. H. S. C. T. H. S. O.

M. IOHANNES CONFUSIONE

CONFUSIONE M. IOHANNES



D. O. M. A.

*Continuatio.*

A stenus ergo duas à Becano motas quæstiones examinavimus: *An nimirum justus possit bene operari, & Legem Dei servare.* Deinde, *an utrumq; teneatur præstare justus:* sequitur nunc tertia, qua quæritur; *An opera justorum sint meritoria vita eterna;* vel, ut conformat in manuali, *An justi bene operando possint mereri vitam eternam.* De ista ergo hac disputatione agemus.

**THESES.**

I. Præmittit Becanus §. i. nostram sententiam, & quid de quæstione hac sentiamus, ait, facile colligi ex dictis. Nam (ad-dit) si omnia opera justorum sunt damnabilia, & peccata mortalia, ut illi volunt, quomodo possunt apud Deum mereri vitam eternam: potius eternam damnationem mereri dicenda sunt, uti ipsimet fatentur.

II. Primum sententiam nostram orthodoxam esse, qua fatemur, justum suis operibus non posse mereri, vel justificationem vel vitam eternam, libenter concedimus: Verum nos illam credere certam & orthodoxam ob rationem à Becano allegatam, ipsius crassum ac notorium mendacium est. Nihil enim mereri opera justorum dicimus, quia sunt imperfecta; proindeq; si sola es- sent, & merito Christi imperfectio illorum non tegeretur, tūm potius damnationem, quam vitam eternam mereri: Ut autem sunt justificatorum opera bona, eternam damnationem merentur tantum abest ut affirmemus, ut potius statuamus & ex scriptura sacra demonstremus, habere promissiones hujus & futuræ vita.

A 2

3. No-

III. Nostram sententiam erroris accusat & convincere co-  
natur primum duobus argumentis §. 2. Primum est: Nam,  
inquit, supra ostendi, non omnia justorum opera esse damnabilia, sed  
quædam bona, honesta & laudabilia. Concedimus nos totum; sed  
qua vi consequentia inde infertur: Ergo justorum opera me-  
rentur vitam æternam? Nullâ sanè.

IV. Alterum argumentum sic proponit: Secundo, quia  
aperte contradicit scripturis. Hæ docent nos bene operando mereri &  
consequi vitam æternam. Sic ergo vult argumentari Becanus:  
Quibuscumq; vita æterna in scripturis dari dicitur nomine mer-  
cedis, illorum opera sunt meritoria vitæ æternæ: Atqui justis  
in scriptura dicitur vita æterna dari nomine mercedis: Ergo ju-  
storum opera sunt meritoria vitæ æternæ. Minorem probat  
dictis scripturæ; ubi verò prius majorem confirmare debuisset.  
Alii, inter quos Porsanus, ita probant: quia non concipi possit mer-  
ces sine merito, sicut nec filius absg; Patre; maritus absg; uxore; domi-  
nus sine servo, mons absg; valle &c.

V. Minorem probat Becanus hoc modo & ex hisce dictis:  
Matth. 5.v.12. Gaudere & exultare quoniam merces vestra copiosa est  
in cælis, Matth. 20.v.8. Voca operarios & redde illis mercedem, Matth.  
25.v.34. Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à  
constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mibi manducare. Rom.  
2.v.6. Deus reddet unicuiq; secundum operem sua: iis quidem, qui secun-  
dum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem  
querunt vitam æternam &c. : Cor. 3.v.8. Unusquisq; propriam mer-  
cedem accipiet secundum suum laborem, Gal. 6.v.8. qui seminat in Spi-  
ritu de Spiritu metet vitam æternam. 2. Cor. 4.v.17. quod in praesenti  
est momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriae pondus o-  
penatur. 2. Tim. 4.v.7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi,  
fidem servavi in reliquo deposita est mihi corona justitiae. Apoc. 3.v.4.  
Ambulabunt tecum in albis, quia digni sunt.

VI. Respondemus ad argumentum, esse homonymiam in  
voce mercedis, quæ vel propriæ dicitur vel impropriæ & per quā-  
dam similitudinem. De mercede propriæ dicta conceditur  
major & negatur minor. Homonymorum enim non potest  
esse

esse eadem ratio. Ut si taurus est, natus est ex vacca, & habet duo cornua. At Mons Giliciæ est Taurus: neque tamen ex vacca natus est, neque duo cornua habet. Exempla probationis causa producta negamus esse similia: quia omnia propriæ appellationis. Nos autem probamus non omnia exempla in facris literis continentia vocem mercedis, de propriè dicta loqui, & sic in propria significatione illam usurpari.

VII. Ex multis pauca hæc notentur; Gen. 30. v. 18. *Dixit Leah*, dedit Deus mercedem meam: eo quod dederim ancillam meam viro meo, quis dicet h̄ic fuisse meritum apud Deum? Opus enim h̄ic nullum faciebat Leah, aut propter Deum, aut bonum, aut bene. Quocirca nulla planè ratione poterit vocari meritum, quod apud Deum aliquid mereretur: Sic Psal. 127. v. 3. *Ecce hereditas Jehovæ, Filii: merces, fructus ventris.* Genebrardus: *Merces sive donum Domini nempe fructus Ventris.* Et post: *Filiī omnes dono Dei contingunt.* Vatablus. Repetitio idem bis dicit, quasi dicat quod à Deo tanquam jure hereditario accipimus, sunt liberi, & donum, quo afficit pios Jehova, quodq; ab ejus Liberalitate proficiuntur est soboles. Sed res manifesta est Gen. 15. v. 1. *Ne timeas Abram ego scutum ero tibi, merces tua multa valde.* Quid hic Papistæ? Afferent Deum ipsum cadere sub meritum? quod verò si non audent: Ergo concedant necesse est, aliquam esse mercedem præter meritum. Rom. 4. v. 4. scribit Apostolus: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum:* ubi Paulus manifestè dicit, mercedem dupliciter imputari, vel ex debito, nimirum propriam: vel ex gratia, nempe impropiè dictam.

VIII. Idem ex scripturis ante aliquot secula observarunt Patres; Ambrosius epistola prima: *Alia est merces Liberalitatis ex gratia; aliud virtutis stipendium; alia laboris remuneratio.* Et Augustinus prefatione in Psalmi 31. enarrationem: *Si in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata.* Hoc ergo Apostolus sic commendavit: *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad justitiam.* Etei qui operatur, id est, de operibus præsumit, & eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei, merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum. Quid est hoc: nisi quod merces nostra

gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur? Quid est, gratis datur? gratis constat.

IX. Atque sic certum est, quod merces in scripturis non semper dicitur respectu meriti, sed ejusmodi retributio indicetur, quæ non ab ulla dignitate laboris dependet, sed à benefica Dei clementia provenit: *Merces autem nuncupatur ob divinam promissionem antegressam, qua se quodammodo debitorem constituit Dominus, atque id, quod promissum est, post factam promissionē aliquo modo cadit in debitum: Cujus tamen debiti ratio non ex dignitate vel conditione præcedentis laboris vel afflictionis, sed ex veritate antegressæ promissionis pendet, quatenus Deus suam promissionem gratis atque liberè initio factam, rescindere amplius vel retractare non cupit.* Atque sic satis patet, quod hæc mercedis denominatio sit à similitudine non à proprietate rei definita.

X. Ad minorem respondemus primum in genere, non posse allegata dicta intelligi de mercede propriè dicta, ut est debitum laboris præmium: sed unice de compensatione Dei merè gratuita; Sic enim argumentor: *Ubi vox mercedis notat debitum præmium sive mercedem, ibi quoque debet indicari ejusmodi proportio, quæ solet ac debet esse inter laborem & mercedem propriè dictam: At in dictis allegatis non indicatur talis proportio, quæ solet ac debet esse inter laborem & mercedem propriè dictam: Ergo in allegatis locis vox mercedis non notat debitum præmium sive meritum.* Major est certa. Nam dari hic relationem concedunt Jesuitæ: At illam in proportione ista fundatam esse negare non possunt. Minorem probo. Nam inter afflictiones & labores nostros, de quibus allegata dicta loquuntur, & inter gloriam illam cœlestem, Paulus omnem comparationem penitissime tollit scribens Rom. 8.v.18. *Scio non esse pares afflictiones præsentis temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur erga nos.* Multò verò magis omnem proportionem simpliciter negat, 2.Cor. 4.v.17. quod ipsum hoc loco sine ulla ratione pro se allegare audet Jesuita: *Momentanea levitas afflictionis nostra mirè supm modum aeternum glorie pondus parit nobis.*

II. At-

XI. Atque sic satis manifestum ac certum est, vocem ~~mercedis~~ in dictis allegatis, ut & in cæteris, in quibus id subintelligi sibi imaginatur Jesuita, in sua propria significatione nequam sumi posse: proindeq; necessario relinquere illam allegatis locis significare compensationem, à gratuito Dei favore profectam, qui propria sua dona in nobis coronare solet: non secus ac Pater aliquis obsequia liberorum suorum, jam ante debita, gratis remunerari solet. Hinc ad Col. 3. v. 24. appellatur vita æterna merces hæreditatis, ut indicetur, non stipendiū servorum, sed indebitam hæreditatem & gratuitum donum filiorum eam esse, quod Rom. 6. & Eph. 2. D. Apostolus aperte testificatus est.

XII. Restat nunc ut allegata dicta seorsim videamus. Manifestum igitur est, illud Matth. 5. v. 12. non loqui de cœlo sive vita æterna ipsa: sed de illo, quod consecuturi sumus in illa, hoc est de gradu gloriæ in vita æterna. Tametsi enim vita æterna commune est bonum omnium electorum: nihilominus ratione claritatis & gloriæ inter ipsos electos aliquid discriminis dabitur, juxta illud Apostoli 1. Cor. 15. v. 41. & 42. Stella à stella differt in gloria: sic quoque resurrectio mortuorum. Atque hujus gloriæ ac claritatis respectu quisq; suam accipiet differentem mercedem prout multum laboraverit vel toleraverit in Ecclesia: quæ tamen & ipsa non ex merito propriè operum, sed ex gratia Dei ejusq; gratuita ordinatione & dispensatione unicè pendebit.

XIII. Ad dictum Matth. 20. v. 8. respondemus distingui debere inter operarios & inter opera. Dici quidem in parabola illa, reddendam esse mercedem operariis concedimus: ubi vero in illa legitur, reddendam eam esse operibus? Id inde sequi dicis. Negamus vero. Nam operarii non nominantur ex necessitate rei significata, sed necessitate parabolæ. Nulla autem est consequentia: si in eo, à quo parabola sumitur, sunt operarii: Ergo quoq; in re, per parabolam notata. Quis enim inferret: sunt pisces in nassa: ergo etiam in regno cœlorum dantur pisces? cum regnum cœlorum sit simile nassæ pisces continent. Stultus sancte, utpote Jesuita, sic argumentaretur: Simile tantum ali-

quod



quod p̄ficiens; sic simile, sive respondens aliquid operarii datur in regno cœlorum: Quod simile Paulus non vocat operantem hominem, sed credentem.

XIV. Deinde si omnino in propria significatione vox operarii sumatur, nondum tamen habent Jesuitæ quod volunt. Habet enim hoc loco merces eam rationem, quam habet donativum ad milites. Ut ergo donativum datur quidem militibus, non tamen militiæ, sic etsi hic dicatur mercedem dari operariis, non tamen sequitur illam dari operibus. Antecedens probatur: Ut enim stipendium datur militiæ: proindeq; ut militia varia & inæqualis est, militiæ quoque reddita stipendia sunt varia & inæqualia, nempe pro ratione militiæ: Verum licet militia sit inæqualis, æquale tamen est donativum: Cum sit munus, quod à Principe vel Imperatore ex singulari gratia & benevolentia militibus, non ita militiæ, datur: sic quoque res se habet in regno cœlorum seu militante Ecclesia laborantibus ac certantibus, quia inæqualibus operibus & certaminibus inæqualis sic dicta merces proponitur: sequitur, quod merces illa donarii rationem habeat. Quare ut donativum non est stipendium ideoq; nec debitum, etiam si militibus detur: sic etiam merces, quæ in hac parabola dicitur, ut meritis non est imputanda, sic neque propter merita datur, ideoq; in impropria significatione usurpatur.

XV. Notetur hic elegantissimus locus Augustini Tom. 2. Epist. lib. Epist. 466. & 467. Stipendium, inquit, peccati mors. Rectè stipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens: Stipendium justitiae est vita æterna, sed gratia, inquit, Dei vita æterna. Et hæc ne præter mediatorem aliqua alia via quereretur, adjecit: In Christo Iesu Domino nostro: tanquam diceret, Audito, quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere? Æ humana, non justitia, sed nomine justitiae planè superbia, quid te disponis extollere, & contrarium morti, vitam æternam, tanquam debitum stipendium, flagitare? Cui debetur vita æterna, vera justitia est. Si autem vera justitia est, exter non est, &c.

16. Sic



XVI. Sic nihil probatur dicto i. Cor. 3. v. 8. ubi etiam *vocula mercedis* habetur: quippe quae neque inib[us] in principali sua significatione, nempe pro retributione laborum debita, eisque proportione justa respondentem & aequivalente accipitur. Quandoquidem nulla omnino hic est analogia & proportio inter laborem, quem ministri praestant, & inter aeternam gloriam, vice compensationis iis conferendam, quae alias requiritur, ut demonstratum: manifestum ergo est, & hoc loco *mercede* vocula notari retributionem gratuitam & indebitam. Ut nihil quoque pro Jesuita facit dictum Christi Matth. 25. v. 3. 4. Tota vis probationis Jesuiticae est in particula *γαρ enim*. Esurivi enim. Putat enim illam causam notare, ob quam lata illa sententia salutis & beatitudinis exceptura sit justos. Sed fallitur & fallit Jesuita. Nam ut particula *γαρ enim* multis in locis non causam, sic neque hic causam significat vel meritoria, vel aliam efficiemt; sed tantum est argumentum a signis petitum. Alias enim si causam notaret, plane contradictoria esset haec sententia Christi: quod sine blasphemia non conceditur. Primum enim dicuntur benedicti Patris, quo epitheto vera causa salutis justorum, sive electorum indicatur. Quandoquidem eo nos revocat ad unicum salutis nostrae fontem, cum Deus promittat, se non modo Abrahamum, omnium credentium Patrem, sed etiam omnes gentes in ejus benedicto semine benedicturum: sicut etiam statim in paradyso mox a lapsu nostrorum Parentum, semine mulieris esse contritum caput serpentis & maledictionem, lapsu contractam sublaturum. Quod autem benedictio, in illo benedicto semine omnibus credentibus communicanda, complectatur gratuitam justificationem & vitam, omnibus nobis Luthetanis Dei beneficio ex Evangelio notissimum est, & differit de ea Paulus in Epist. ad Gal. copiosè simul & valde eruditè ac perspicue.

XVII. Deinde observandum, quod Christus Deum dicat Patrem non suum tantum, sed etiam illorum, qui *unigeniti* sunt consecuti. Unde autem adoptio illa, nisi quia in dilecto Filio dilecti fuere, & per illum unicum Filium in filios

hæredesque accepti. Hinc ergo illis jus hæreditatis gratuitum. Est etiam ἐμὸν φασις verbi κληρονομία ut notanda: quippe quod non simpliciter est possidete; sed hæreditate seu jure hæreditatis possidete, neimpè ut filij gratis adoptati patria bona. Tandem addit, regnum hoc nobis paratum esse à iactis fundamentis mundi, & sic non tantum ante omnia nostra merita, sed etiam antequam nascemur. Quomodo autem benedicti simus, & quomodo nobis regnum præparatum ab initio pulcre nobis exponit Paulus ad Eph. i. inquiens: Benedictus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione &c. Videatur ipse Apostolus. Qui sati expressè docet, præparatum esse nobis regnum ex mera gratia, & ob dilectum Filium, in quo & propter quod benedictum semen nobis omnis benedictio gratuita electionis, favoris, remissionis peccatorum, adoptionis & hæreditatis æternæ donatur; & quidem longè antè, quam quicquam vel boni vel mali fecissemus. Non ergo ex meritis salus, sed ex gratia, sicut ipsa electio: proindeq; hoc loco particula γὰς enim nequaquam causam meritoriam quit notare.

XVIII. Ex cap. 2. ad Rom. sic vult argumentari Becanus: *Quibus Deus datus est juxta opera, & quidem perseverantibus in beneficiendo, sicq; gloriam & honorem & immortalitatem querentibus, vitam æternam; illorum bonis operibus vita æterna mercedis loco decernitur: At justis Deus datus est juxta opera, & perseverantibus in beneficiendo, sicq; gloriam honorem & immortalitatem querentibus, vitam æternam;* Ergò justorum bonis operibus vita æterna mercedis loco decernitur. Respondemus ad majorem propositionem i. distinguendo inter hasce phrases, *Deum daturum unicuique secundum opera: & daturum per & propter opera.* Hæc dicere posset, opera constituere causam vitæ æternæ: sed in illa secundum opera nulla causa vitæ æternæ indigitatur; sed secundum illa est secundum testimonium bonorum operum, prout ea demonstraverint hominem vel fidem habuisse, vel eadem fuisse destitutum. Cùm enim judicium illud visibile & conspicuum sit futurum, ideoque invisibilis, & in corde latentis fidei visibles producantur testes, id est opera fidei, quæ in hoc mundo conspici poterant.

Sicut



Sicut Christus Matth. 23. testimonium illud bonorum operum  
reproductum in novissimo die affirmat.

XIX. Sicneq; alterum illud, Deum perseverantibus in be-  
nefaciendo vitam æternam daturum arguit, vel ostendit illud bene-  
ficiendi studium esse vitæ æternæ causam; sed potius illos, qui-  
bus vita æterna danda est, ab effectu describit, demonstrans,  
quinam illi sint, quibus æterna vita detur: non autem propter  
quod detur. Taceo, quòd Pontificiorum hujus dicti explica-  
tio & glossa pugnet cum scopo Apostoli & totius capitis cir-  
cumstantia: cùm hoc & sequentibus capitulo bus id unicè agat A-  
postolus Paulus ut demonstret, hominem non operibus ju-  
stificari.

XX. Quod attinet dictum ad Galat. 6. v. 8. agit in illo A-  
postolus de communicatione terrenorum bonorum ab audi-  
toribus in pastores suos facta: Qua verò ratione huic quis tri-  
buerit dignitatem meriti vitæ æternæ? cùm inter hanc & vitam  
æternam nulla sit συμμετρία, nulla proportio; sed distantia ac  
differentia prorsus infinita. Quandoquidem terrenum & cœ-  
leste, temporale & æternum, toto genere differre, quis ignorat?  
Quare non potest hæc Becani & Pontificiorum glossa non esse  
absurdissima, qua volunt hunc locum de merito, & quidem  
vitæ æternæ, interpretari: quæ respectu solius unius passionis &  
mortis Christi meritum quid appellari, respectu nostri verò est  
gratuitum Dei donum per Dominum nostrum Jesum Chri-  
stum, Rom. 6. Relinquit ergo, Paulum hoc loco agere de gra-  
tuita retributione, omne meritum nostrum secludente: ut sen-  
sus sit: qui instinctu Spirius Sancti ad conservationem mini-  
sterij contribuunt, illos ex immensa Dei gratia in vita æterna à  
Domino largissimam accepturos retributionem.

XXI. In 2. Ad Cor. 4. v. 17. conferuntur afflictiones hujus  
temporis & alterius vitæ gloria immortalis: nempè afflictio-  
num brevitas cum æternitate præmij, & illarum levitas cum  
inæstimabili pondere gloriæ. Quod autem afflictio nostra di-  
citur hoc pondus gloriæ κατεγγάγεσθαι, non (uti in præceden-  
tibus quoq; monuimus) ad meritum aliquod pertinet, ut hic

B 2 sibi

sibi Beccanus imaginatur: sed tantum ad ordinem, nempè quod præmium hoc non detur prius, nisi afflictiones antecesserint, & quidem ex gratuita promissione Dei. Vide Disputationem præcedentem.

XXII. In 2.Timoth. 4. v.7. Apostolus Paulus non de se, sed donis Dei gloriatur: qui cum confortaverat, ut hæc omnia perficeret, sicut alibi scribit; *omnia possum in eo, qui me corroboravit,* Phil.4.v. 13. Et sanè summa fide, quod erat delegatum officium evangelizandi, peregit pius hic Christi Apostolus; Verum eo se vitam æternam meruisse, neq; hic neq; alibi scripsit: neq; hinc operum merita adversus Dei gratiam Beccanus & cæteri Papani astruere possunt. Nequaquam enim gratuita justificatio, quæ nobis per fidem confertur, cum operum remuneratione pugnat, quin potius ritè conveniunt ista duo, gratis justificari hominem Christi beneficio, & tamen operum mercedem coram Deo relaturum. Nam simulque in gratiam nos recipit Deus, opera quoq; nostra grata habet, ut præmio quoq;, licet indebito, dignetur.

XXIII. Apoc.3. v.4. Nihil de merito bonorum operum. Nam ambulare cum Christo in albis, est quidem irreprehensibiliter vivere. (Albus enim color innocentiae pariter & victoriæ, adeoque & felicitati servit,) quod propriè illorum est, qui ad Christi corpus pertinent. Digni vero dicuntur, non quidem operibus, sed pura gratia. Nihil enim boni habent, quod à Deo non acceperint, 1.Cor.4.v.7.

XXIV. Falsissimum ergò est, quod gloriatur Beccanus §.3. hæc testimonia tam clara esse & aperta, ut nullo modo ab adversariis eludi possint: cùm perspicue tradant vitam æternam esse mercedem & coronam, quæ danda sit justis intuitu bonorum operum. Falsissimum, inquam, hoc est, nec opus est, ut illa eludamus, cùm sacra scriptura satis disertè pro se loquatur, & orthodoxam nostram sententiam & interpretationem confirmet, ut ex dictis patet.

XXV. Cæterum cùm quidam dicant, vitam æternam dari intuitu bonorum operum, non tamen dari ex merito & dignitate illorum operum, sed ex mera Dei promissione, Liberalitate & indulgentia; excipit Beccanus, inquis; Errant ipsi. Addit rationes: quia si datur intuitu bono-

bonorum operum, seu propter bona opera, certè datur ex merito bonorum operum. Hęc enim idem significant. Secundo datur ius, qui digni sunt 2. Thess. 1. v. 5. Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. At si digni sunt propter bona opera, certa datur illis ex merito & dignitate bonorum operum. Tertio non solum datur illis ut merces, sed etiam ut corona justitiae 2. Tim. 4. v. 8. At corona justitiae non datur ex mera liberalitate vel indulgenzia, alioquin non justitia sed liberalitatis corona esset. Quarto, sicut se habet aeterna damnatio respectu impiorū, ita vita aeterna respectu justorū: At illa datur impius pro merito malorum operum. Recte Augustinus Epist. 205. ad Sixtum: sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: ita merito justitiae tanquam stipendium vita aeterna. Sed frustra haeremus in re clara & perspicua, in qua omnes Patres nobiscum sentiunt. Nec negat Calvinus l. 3. Inst. c. 15. S. 2. sed dolet.

XXVI. Quod attinet questionem ipsam non dicimus, quod vita aeterna ipsa detur respectu operum; sed de praemiis in vita aeterna id affirmamus. Deus enim quippe Agens liberissimum & veracissimum, quia premia in vita aeterna bonis operibus promisit, clementer quoque per gradus gloriae ex intuitu operū illa confert. Quod autem Becano perinde sint intuitu operum dare; & prop. ex opera dare, tanquam propter causas meritorias, concedendum non est, ut neque primi argumenti consequentia: si datur intuitus bonorum operum. Ergo datur ex merito bonorum operum. Quemadmodum nulla est consequentia: Militibus datur ab Imperatore si-  
ve duce donativum intuitu militiae: Ergo datur ex merito militiae. Datur enim gratuito & ex liberalitate Imperatoria: stipendium, ut diximus, datur ex merito: interim datur utrumque intuitu militiae: Donativum enim est donum quod militibus tantum datur: Ergo intuitu militiae; sed non ex debito. Sic stipendium quoque datur militibus: Ergo etiam intuitu militiae sed ex debito. Proindeque falsum est dari intuitu bonorum operum, & dari ex merito bonorum operum, esse idem. Illud enim latius est.

XXVII. Secundum argumentum quod Becanus deducit ex 2. Thess. 1. v. 5. Si digni sunt propter bona opera, certe datur illis ex merito & dignitate bonorum operum: id sane neque in dicto neque in scapo Paulino habetur. Non enim disputat Paulus de causa

dignitatis: sed tantum sumit communem scripturæ doctrinam,  
quod Deus aboleret in nobis, quæ mundi sunt, ut meliorem nobis vitam in-  
stauraret. Deinde simpliciter exponit modum, quo aptantur, &  
quasi expoliuntur fideles sub Dei incude: quia per afflictiones  
mundo renunciare, & ad cœleste Dei regnum tendere docen-  
tur. Cæterum confirmantur in spe vitæ æternæ, dum pro ea mi-  
litat: unde addit, pro quo etiam patimini, nempè sub spe certa pro-  
missionis factæ, quæ efficit, ut regnum Dei consequamini. Ita  
quoque in præcedentibus Christus locutus fuit: Gaudete & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cælis, Matth. 5. v.12. & Apo-  
stolus: Simul cum ipso patimur, ut cum eo glorificemur. Rom. 8.v.17. Et  
rursus: si sufferimus, & conregnabimus, 2. Tim. 2.v.12. Et quanquam  
mille afflictiones per se dignos nos faciant vitæ æternæ præmio,  
& gloria; tamē abnegare Christum metu præsentum periculorū,  
peccatum est, castigatione æternæ mortis dignum: Ut enim  
corde creditur ad justiciam, ita oris fit confessio ad salutem, Rom. 10. v.10.  
non quod confessio oris mereatur salutem; sed quod, quando  
abest, fides in corde non sincera sit; atq; sic salutis æternæ parti-  
ceps non sit.

**XXVIII.** Neq; tertium argumentum deducitur ex 2. Tim.  
4.v.8. Non Paulus, sed Beccanus mendax dicit, non dari electus justi-  
cie coronam ex mera liberalitate. Apud homines non datur ex me-  
ra liberalitate, annon propterea nec apud Deum? Obijcit, alio-  
quin non justicie, sed liberalitatis corona esset. Est etiam liberalitatis  
& sic denominari potest. quia per liberalissimam gratiam, quod  
in nobis justum agit, declarat, & præmio dignum judicat, que-  
admodum vocatur corona vitæ, Iac. 1.v.12. item corona incorru-  
pta, 1. Cor. 9.v. 25. &c. Sed hic placet Spiritui Sancto eam vocare  
coronam justicie: vel propter imputaram justitiam Christi: vel quia  
in extremo die resurgemus perfectè justi, sine omni labe & pec-  
cato, similes Angelis in cœlo: quam puritatem & justitiam er-  
iam gratis propter meritum Christi habebimus, & in illa in o-  
mnem æternitatem Deum videbimus, & sanctè colemus ac ce-  
lebrabimus.

**XXIX.** In quarto argumento negamus consequen-  
tiam.

tlam. Opera mala perfecte sunt mala: bona vero opera imperfecte bona sunt. August. Ep. 105. loquitur de merito justitiae fidei, hoc est, nobis imputatae: sic enim habet totus contextus p. 466. Cum dixisset (Paulus) Stipendium peccati mors; quis non congruentissime & consequenter addere judicaret: Stipendium autem justitiae vita eterna? Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito justitiae tanquam stipendium vita eterna. Aut si nollet dicere justitiae, diceret fidei: quoniam justus ex fide vivit.

XXX. Pergit Becanus §.4. ad refutationem nostrorum argumentorum. Primum est: Vita eterna in scripturis vocatur hereditas: At hereditas debetur filius non ex merito & labore, sed ex solo jure filiationis seu adoptionis: Ergo &c. Respondet: sed retorqueo dupliciter. Primo, vita eterna in scripturis vocatur etiam merces, ut supra ostendi: Ergo datur intuitu meritorum; ergo non solo iure adoptionis. Secundo, Adoptio idem est, quod praedestinatio apud Calvinum, & praedestinationi opponitur reprobatio, utraq; autem facta est secundum Calvinum ex solo Dei beneplacito, nullo respectu bonorum aut malorum operum: Si ergo ex eo, quod vita eterna debetur titulo adoptionis, seu praedestinationis, bene sequitur, non dari ex merito bonorum operum, etiam ex eo, quod pena eterna debetur titulo reprobationis bene sequetur non dari ex merito malorum operum. At hoc posterius non audent Calviniste concedere. Vnde patet Calvini argumentum nullius esse roboris. Hac ad hominem.

XXXI. Primum respondemus, nondum ostendisse Be- canum, vitam quoque eternam in scripturis vocari mercedem; ne- que posse: cum nuspiam in scriptura vocetur merces, sed quod- dam in vita eterna. Si quis urgere velit locum 1. Cor. 3. v.8. ei re- respondemus, Apostolum ibi agere de Doctoribus, quos ait in vi- ta eterna secundum labores accepturos esse mercedem. De qua mercede vaticinatur Daniel Propheta cap. 12. v.3. Intelligen- tes autem fulgebunt, ut splendor firmamenti, & justificantes (id est, erudi- entes ad justitiam) multos, tanquam stellae in seculum & in eternum.

XXXII. In secundo arguento cœcus cœcum dicit. Malè opponit Calvinus, pejus respondet Becanus: Quid ergo aliud quit sequi quam pessima conclusio. Adoptio non est plāne idem quod est praedestinatio. Nam quotquot crediderunt, illis dedit



debet autoritatem ac dignitatem esse Filios Dei, Joh. i. v. 12. Non autem omnes credentes nobis Lutheranis sunt electi: cum multi sint temporarij, qui ad tempus credunt, & postea fidem amittunt, & pereant, ut demonstrat id Christus in parabola de quadruplici agro. Lucæ 8. Deinde concedimus quidem, quod prædestinatio sit facta solo beneplacito divino; & sine respectu ad opera, non autem sine respectu ad fidem juxta illud Apostoli 2. Tim. 2. v. 13. Nos autem debemus gratias agere Deo de vobis semper, fratres dilecti à Domino, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem, per sanctificationem Spiritus & fidem veritatis. Ergo poena æterna datur omnino ex merito malorum operum. Ubi enim fides non est; ibi quoque electio respectu fidei fieri non potuit. Ubi hæc non facta est, ibi manent peccata regnania & mortalia; quorum consequens non nisi æterna est damnatio & interitus.

XXXIII. Pergit Becanus §. 5. Quod ad rem attinet, ita sentiendum est 1. Non sumus Filii Dei per naturam, sed per adoptionem. 2. Alii re ipsa adoptantur ante usum rationis in baptismo, ut parvuli; Alii post usum rationis in prima justificatione, ut Adulti. 3. Parvuli, qui ante usum rationis adoptantur & moriuntur; accipiunt vitam æternam solo titulo hereditatis. 4. Adulti, qui usum rationis untuntur, & in adoptione filiorum usque ad mortem perseverant, duplice titulo accipiunt vitam æternam; altero mercedis, altero hereditatis. Hoc indicavit Apostolus ad Col. 3. v. 23. Quodcunq; facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod à Domino accipietis retributionem hereditatis, ut significaret vitam æternam non solo titulo hereditatis, sed etiam mercedis seu retributionis conferri adultis. Nec hoc mirum aut novum. Primo, cum non sint per naturam filii, sed per adoptionem, potuit eos hac conditione Deus adoptare, ut non adirent hereditatem, nisi vellent mandatis Dei obtemperare, & obtemperando hereditatem promereri. Secundo, quia simile quid Christo accidit. Nam jure hereditatis (supposita unione hypostatica) debebat nr ei gloria corporis & exaltatio nominis; & tamen suis meritis eam obtinuit, juxta illud Apostoli ad Phil. 2. v. 8. Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum &c. Si ergo Christo, qui fuit filius Dei natu-

naturalis, data est gloria corporis, & exaltatio nominis duplii titulo, nempe  
hæreditatis & mercedis, quid mirum, si nobis, qui sumus Filii tantum adop-  
tionis utroq; titulo conferatur vita æterna.

**XXXIV.** Primum concedimus. In altero quoq; largimur distinctionem, si intelligatur de usu rationis, quo se con-  
jungit cum talibus vel non conjungit: Aliás Spiritus sanctus scit  
immediatè in partem animæ λογικὴν agere, ipsiq; ratione sup-  
peditare, ut intellectus fiat, licet nihil beneficio sensuum ex-  
ternorum vel internorum accipiat. Alterum verò, nimirum,  
adultos adoptari in prima justificatione, somnium Pontificium est,  
quo sine ratione & scriptura duplē fingunt justificationem:  
quæ verò una tantum est, nec in primam & secundam distingui  
potest.

**XXXV.** Ad tertium & quartum respondemus, & ad-  
huc repetimus, unam duntaxat esse justificandi rationem: addi-  
musq; nullibi sacram scripturam inter infantes sive parvulos  
& adultos respectu justificationis distinguere. Adferant Jesui-  
tæ locum & novum hoc dogma, novamq; hanc distinctionem  
inter adoptionem parvolorum & adultorum nobis ex scriptu-  
ra probent. Nam dictum ad Col. 3.v. 23. ipso planè nihil juvat.  
Docet enim inibi Apostolus, non quo jure hæreditas quæratur,  
sed quibus obtingat: proindeque non de causa, sed de subiecto  
hæreditatis agit. Adde quod Beccanus opposita, ut sunt in justifi-  
catione & adoptione opera & fides, docente Spiritu Sancto,  
faciat diversa, quæ quamvis in infantibus non sint simul, possūe  
tamen per naturam esse in adultis. Quæ falsissima sunt. Nam  
nullibi, neq; in infantibus, neq; in adultis mercedis, sed sine ex-  
ceptione in omnibus hæreditatis tantum nomine vita æter-  
na datur.

**XXXVI.** Primam rationem, qua probare conatur Be-  
ccanus, utroq; titulo hæreditatis & retributionis vitam æternam  
conferri adultis, quod attinet, concedimus quidem Apostolum  
divinorum mandatorum observationem exigere, sed duntaxat  
ad conditionem personæ adoptatæ ac justificatæ; nequaquam  
verò in numerum causarum adoptionis sive justificationis trā-  
scribere.

**XXXVII.** Simile à Christo sumtum falso est. Christus enim gloriam corporis & exaltationem nominis suis meritis non obtinuit, quippe qui sibi nihil, sed omnia nobis meruit: sibi verò omnia vi unionis personalis habuit: ut potè in quo habitat tota plenitudo divinitatis corporaliter, Col. 2. v. 9. Et Gregorius Nyssenus in libro contra Eunomium scribit: dextra Dei omnium creatrix, per quam omnia facta sunt, & sine qua factum est nihil, ipsa hominem unitum evexit per unionem ad propriam celsitudinem. Quod autem Phil. 2. v. 9. hæc exaltatio passioni ac morti tribuatur, tanquam fructus, ratio expedita est hæc: Ipsa namq; unio personalis Filij Dei cum humana natura, quia propter hanc passionem & mortem, quo redimeretur genus humanum, unicè suscepta est; mirum utiq; non est, id, quod ab unione dependet, ceu fructum, assignari passioni & morti Christi; Ut potè ob quam ipsa quoq; unio contigit, nunquam aliàs suscipienda, nisi redemtionis nostræ necessitas sacrosanctum illud mortis Christi λύτρον efflagitasset. Certum ergo est, Christo gloriam corporis & exaltationem nominis titulo mercedis nequaquam datam esse, proindeq; simile hoc falso & nullum esse, nihilq; probare.

**XXXVIII.** Pergit Becanus §. 6. Quod verò nonnulli ex Calvinistis ajunt, vitam eternam vocari quidem in scripturis & hæreditatem & mercedem: sed hæreditatem propriè, mercedem impropriè, omnino frivolum est. Nam primo, unde hoc probant? cur non è contrario dicunt vocari propriè mercedem, impropriè hæreditatem? Secundò, si gloria corporis, quæ Christo data est, propriè habuit rationem mercedis & hæreditatis, cur non gloria animæ, quæ nobis datur? Non enim repugnat aliquid esse propriè hæreditatem, & simul propriè mercedem. At si ita est, inquires, feliciores sunt parvuli, quam adulti. Nam hi suis laboribus debent acquirere, quod illis liberali donatione conceditur. Imo adulti feliciores, dupli de causa. Primo, quia suo merito adeunt hæreditatem, quod magis honorificum est. Secundo, quia quò plura & majora sunt illorum merita, eò majorem hæreditatem consequuntur. Hinc oritur magnum discrimen inter illos & parvulos. Nam parvuli debent esse contenti illa parte hæreditatis, quæ illis divina liberalitate obvenit. Adulti possunt ad majorem adspirare, & quò magis crescunt eorum merita, eò major illis portio deputatur, juxta illud 1. Cor. 3. v. 8. Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

39. Re-



**XXXIX.** Respondemus ad primum: Quod saepius *mercedis* vox in impropria significatione in scripturis usurpetur, quodq; in hac disputatione impropriè accipiatur, demonstratum est in p̄ecedentibus; simulq; inde liquet. Nam justificatorum opera, quicquid bonitatis in se habent, id non ab ipsis, sed à Deo est, proindeq; quatenus bona, non sunt hominum propria, sed Dei dona, i. Cor. 4.v.7. Phil. 2.v.17. Esai. 26. v.12. Et nihilominus sunt Deo debita, Luc. 17. v.10. Rom. 8. v.12. Deoq; nihil conferunt, quippe qui a deo regnūc, & sibi soli sufficit, Job. 22. v. 2. Rom. 11. v. 35. Quæ omnia satis demonstrant, vitam æternam non posse propriè *mercedis* nomine venire. Atq; hæc etiam haud dubiè causa est, quod nullibi in scripturis vita æterna vocetur merces.

**XL.** In secundo adhuc negamus gloriam corporis Christo datam habuisse rationem mercedis: uti contrà repetimus & affirmamus, unam eandemq; esse, & justificandi & salvandi rationem tam parvolorum, quam adultorum: Quæ describitur à Christo Marc. 16. v.16. qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit. Et Joh. 3. v.15,16. Omnis, qui credit in eum, non debet perire. Et Apostolus Paulus: Scimus, inquit, quod non justificetur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi, Gal. 2. v.16. Quid? Quod Christus nos jubeat regnum Dei accipere sicut parvuli, inquiens: Amen, Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvuli, non intrabunt in illud, Marc. 10. v.16. Subsumamus jam: Jesuitæ non volunt regnum Dei accipere sicut parvuli: Ergo Jesuitæ non intrabunt in regnum Dei. Deinde sic arguimus: Qui non alio modo ac ratione possunt ac debent accipere regnum Dei, quam parvuli, illorum modus ac ratio justificandi ac salvandi est eadem cum modo & ratione, qua justificantur parvuli: Atqui adulti non alio modo ac ratione possunt ac debent accipere regnum Dei, quam parvuli: Ergo adultorum modus ac ratio justificandi & salvandi est eadem cum ratione & modo, quo justificantur & salvantur parvuli. Ad dictum i. Cor. 3. v.8. paulò antè responsum est.

**XLI.** Secundum argumentum (inquit Becanus §.7.) Sacra Scriptura testatur, vitam æternam, et si corona sit, tamen dari ex misericordia, non ex justitia Psal. 102. v.4. Qui coronat in misericordia & miseratione, dicitur. C 2 nibus. Quid?

nibus. Et Matth. quinto, septimo. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Respondeo. Sicut hic vocatur corona misericordiae, ita alibi vocatur corona justitiae. 2. Tim. 4. v. 8. Reposta est mihi corona justitiae, quam reddit mihi Dominus in illa die justus judex. Nam ergo explicandum est, quomodo utrumq; verum sit. Nam cum utrumq; a Spiritu Sancto afferatur, neutrum falsum esse potest. Res ita habet. Vita eterna est corona justitiae, quia ex meritis & propter merita confertur, servato ordine justitiae commutativa & distributiva. Nam unicuiq; pro quantitate meritorum, major aut minor portio tribuitur, ut ex dictis patet. Vnde Augustinus lib. de natura & gratia cap. 2. Non est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiae. Ceterum, quia ipsa merita, quibus debetur corona justitiae, habent vim suam ex gratia Dei, & gratia datur ex misericordia Dei, hinc fit ut corona, quae illis tribuitur, vocari etiam possit corona misericordiae, non quidem respectu ipsorum meritorum, (quia illis debetur ex justitia) sed respectu nostri, quibus ipsa quoq; merita ex misericordia concessa sunt. Ita explicat D. Augustinus lib. de corruptione & gratia cap. 13. & in epist. 105. ad Sixtum.

**XLI.** Respondemus primò, si intelligatur, quod justitiae corona nobis conferatur ex merito, & propter merita Christi, veritas est. Secundò, quod autem in collatione vitæ æternæ & bonorum operum nostrorum servanda sit ratio justitiae commutativa & distributiva, falsissimum est: Cum saepius diximus & demonstravimus, nullam omnino esse proportionem inter vitam æternam & opera nostra. Tertiò, quod dicit, unicuique pro quantitate meritorum, majorem aut minorem rationem tribui; intelligendū est, aut de ipsa vita æterna, aut de gradibus gloriae. Si de ipsa vita æterna absurdissimum est. Unius enim portio vitæ æternæ major & æterior erit, quam alterius. Quis unquam hoc scripsit: *Quis etiam in æterna duratione majus aut minus dabit?* Si velit ad gradus gloriae retorquere, incautum dicendum, & contra nos nihil.

**XLII.** Augustini sententiam quod spectat, loquitur illa de mercede promissa, & sic in lata ac impropria significacione dicta.

**XLIV.** Porro quod dicit Jesuita: *merita, quibus debetur corona justitiae, habere vim suam ex gratia Dei*, duplex falsum continet.

Primo

Primo nostra opera esse merita, quibus debetur corona Justitiae. Secundo habere illa vim merendi ex gratia Dei. Probatur utrumque ex Scriptura. Non potest, falsum enim est: At ut Scriptura ipsa est Dei veritas, sic non nisi verum ex ea probatur. Probat ex Patribus: At Patres, quod scriptura falsum pronuntiat, in verum permutare nequeunt. Sed ipsem et Augustinus Jesuitæ cōtradicit in allegata epist. 105. sic scribens: Quomodo igitur sua merita jaētaturus est liberatus, cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita justorum? Sunt plane quia justi sunt. Sed ut justi fuerint, merita non fuerunt. Justi enim facti sunt, cum justificati sunt: sed sicut dicit Apostolus: Justificati gratis per gratiam ipsius.

XLV. Tertium argumentum (pergit Becanus §. 8.) sumitur ab illo Rom. 6. v. 23. Stipendium peccati mors, gratia autem Dē vita æterna. Hinc apparet, mortem æternam dari propter mala opera: at vitam æternam non propter bona opera, sed ex mera gratia. Quod si Catholicon sententia esset vera, debuissest Apostolus sic dicere: stipendium peccati mors, stipendium bonorum operum vita æterna. At excludit bona opera. Respondeo. Solutio hujus argumenti apparet ex dictis. Nam Apostolus vitam æternam vocat gratiam eo sensu, quo vocatur corona misericordiae, quia scilicet datur ex meritis, que habenter ex gratia & misericordia. Ita explicat D. Augustinus partim locis citatis, partim lib. de gratia, & libero arbitrio c. 8. & 9. Vbi etiam aperte fatetur, Apostolum recte potuisse dicere: Stipendium justitiae vita æterna, sicut dixit, stipendium peccati mors. (Notent hoc Calvinistæ.) Imò jam ante hos dixerat Apostolus, si non iudicem verbis, saltem eo sensu. Rom. 2 v. 6. Reddet unicuique secundum opera sua: ius quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem querunt, vitam æternam: ius autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescent veritati, ira & indignatio. Id est, sicut Deus damnabit impios propter mala, ita coronabit justos propter bona opera. Ergo simili modo, sicut impiorum stipendium erit mors, ita iustorum stipendium erit vita æterna.

XLVI. Non digna est hæc exceptio, ut quicquam ad illum respondeatur. Primum enim quod dicit, Apostolus vitam æternam vocare gratiam, eo sensu, quo vocetur corona misericordiae, & quæ sequuntur, mera petitio principij est. Demonstravimus enim,

vitam æternam non dari ex meritis: Ergo si vel maxime ita explicaret Augustinus, non tamen autoritas ejus Spiritui Sancto, immediate per Paulum loquenti, esset præferenda. Deinde negamus hanc esse sententiam Angustini; & in specie de allegato dicto demonstravimus, quod loquatur de justitia fidei, & sic non de inhærente, sed imputata justitia: Quod notet Becanus. Falsam quoque esse Jesuitæ interpretationem dicti Rom. 2.v.6. constat ex præcedentibus, ubi simul demonstravimus, vitam æternam non esse stipendium, vel cum eo conferri posse, sed potius esse donativum.

**XLVII.** Quartum argumentum (subjicit Jesuita §. 9.) sumitur ex illo Isai. 55.v.1. Venite, emite absq; argento, & absq; ulla commutazione vinum & lac. Hic offertur nobis vita æterna sine nostris meritis. Respondeo. Per vinum & lac non intelligitur hic vita æterna, sed gratia præsentis vita, ut interpretatur D. Hieronymus, & patet ex ipso contextu, qui sicut habet: omnes sitiens venire ad aquas, & qui non habet argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absq; argento, &c. Simile est illud Joh. 7.v.37. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Vbi certum est. Christum loqui de gratia præsentis, non de gloria futuræ vita. Fatemur autem primam gratiam gratis dari sine meritis, quamvis non sine opere & labore nostro. Nam sicut illæ particulæ, absq; argento & ulla commutatione, excludent nostra merita, ita istæ, venite & emite, requirunt nostrum laborem. Hoc ergo interest inter gratiam & gloriam, quod licet neutra conferatur adultus sine propria cooperatione, gratia tamen confertur sine propriis meritis, gloria per propria merita.

**XLVIII.** Intelligit ergo Becanus per vinum & lac, non vitam æternam, sed gratiam, quæ nobis in hac vita confertur. Deinde solent distinguere Pontificij inter gratiam primam & secundam; quarum illa est, qua primum pervenimus ad Deum; ista, qua in Deo permanemus: proindeq; comprehenduntur, tum augmenta gratiæ in hac vita, tum ipsa futura æterna vita. Primam gratis dari sine meritis fatetur Becanus: De gloria autem dicit vitam æternam conferri per propria merita, ut autem hoc loco id affirmat de gloria, sic idem docet de augmentis gratiæ in hac vita hoc ipso tractatu quarto cap. 5. de merito Catholicorum quest.

quest. 4. §. 1. Omnes Catholici consentiunt, inquit, hominem iustum per bona opera & observationem mandatorum Dei mereri augmentum gratiae & justitiae condigno, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 10. & §. 2. in fine (inquit) neque augmentum hoc differri in alteram vitam, sed statim dari bene operantibus. Ut etiam idem repetit, & ex professo tractat ac defendit in tract. de Charitate.

X L I X. Hactenus ergo inter nos consensus est; agi in dicto Prophetæ de gratia divina obtinenda: Controvertitur autem, quæ sit illa gratia. Nos omnes gratiæ divinæ partes à prima ad ultimam contineri statuimus. Beccanus, ut diximus, tantum gratiam, quæ in hac vita confertur: & hanc suam erroneam sententiam, quando probare aggreditur, sophisticè ac fraudulenter tantum primæ gratiæ mentionem facit, & eam gloriæ opponit. Quasi verò ex sententia ipsorum tantum prima gratia nobis conferatur in hac vita? Et solum collatio gloriæ in eo, quod per opera nostra acquiratur, à collatione primæ gratiæ distinguatur: Cùm tamen, ut probatum est, utramq; eodem modo nempè per merita nostra nobis conferri doceant. Non ergo potuit primam gratiam opponere tantum gloriæ, sed etiam secundam. Ergo aut concedere cogitur Beccanus, quod de utraq; gratia hujus vitae apud Prophetam agatur: vel rationem reddere, cur non tam de gratia secunda, quam de prima prophetia sit accipienda: Cùm in genere responderat per distinctionem inter gratiam præsentis vitae, & vitam æternam, addideratque loqui Prophetam de gratia præsentis vitae: non de hac prima gratia præsentis vitae, atque illud probaverat autoritate Hieronymi. At is non tam de prima, quam secunda gratia verba Prophetæ interpretatur: Pro hac, inquit, septuaginta triæ, i. e. adipem transfluerunt, de quo sanctus David dicit in Psalmo: sicut de adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos. Qui adeps non aliud quam mysticam carnem sonat, ad quam Dominus discipuloshortatur, dicens: nisi comedieritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quæ sanè de secunda gratia sunt intelligenda; siquidem continuationem comestionis mysticæ carnis connotant.

50. Ut

L. Ut autem sicut faciat Sophista, & oblique ac tacite secundam gratiam excludat, limitat suam concessionem & confessionem Becanus, inquiens: *Fatemur primam gratiam gratis dari sine meritis, quamvis non sine opere & labore nostro.* Et addit, ut particula illae, sine argento ac ulla commutatione excludunt nostra merita: ita ista, venite & emite, requirunt nostrum laborem. Sed verba sunt. Nam statuunt alias omnes Jesuitæ & Papani, gratiam primam significare primos gratiæ motus. At primi hi motus disertè notantur verbo *venite*. Quandoquidem non dicit Propheta, *emite & venite*: sed contra, *venite & emite*, ut doceat primum veniendum esse, h.e. primam gratiam habendam: deinde emendam, h.e. obtainendam gratiam, quæ est post primam.

—go— L.I. Et sanè id ad oculum ex sequentibus apparet & demonstratur: sic enim pergit Propheta: *quare appenditis argentum in non panem, & laborem vestrum in id, quod servare non potest?* Audite audiendo me, & comedite bonum, delectabiturq; in pinguedine vita vestra: inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & vivet anima vestra: Feriamq; vobis cum pactum sempiternum misericordias David fideles. Quis tam bardus ac blennus est, qui non intelligat, verba hæc omnes divinæ gratiæ partes à prima ad ultimam continere? Profectò panis & vinum saturant: quod prima gratia non facit: quæ per fitim & esuriem indigitatur. Quippe qui primus motus sunt ad fidem & justitiam: tum etiam vita animæ, quid latius dici potuit? Adde porrò fædus, & quid supererit? Id enim vitam æternam includit. Falsum ergo est commentum Jesuitæ, per vim & lac tantum designari primam gratiam: cùm non tantum secunda gratia, sed gloria quoque includatur.

L.II. Idem docent interpres veteres: Lyranus: *Omnis fitientes, inquit, scilicet gratiæ in praesenti, & gloriæ in civitate cœlesti, per Iesum Christum donandæ, secundum quod ipse Iohannes quarto: qui autem biberit ex aqua, quā ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et qui non habetis, quasi dicat, ista non cadunt sub precio temporali, sed donantur ex mera liberalitate divina. Et mox: *Et vivet anima vestra vita gratiæ, & postea gloria: Et unde ista prove-*



proveniant, postea subdit: Et feriam vobis, id est legem Evangelicam, cui  
alia non succedit. Et Grilius inter alia multa, quæ allegari possent,  
ait: Omittite igitur frustra laborare, & nullos fructus colligere, ac in rebus  
infrugiferis labores collocare: ac potius audite me, & comedite bona, ex Ey-  
angelica scilicet prædicatione, in qua anima vestra, inquit, abundè acquie-  
scet, & deliciabitur. Illic cognitio vera & Dei, qui natura est & omnis vir-  
tutis & sancti decoris disciplina, ac intelligentia, quæ res quæq; agendas mi-  
rabiliter ac rectè discernit, & merita bonorum operum effectricia reddit,  
ad eò ut omnibus, quæ inveniuntur & significantur, adhærescat, & ab omni-  
bus, quæ taxantur recedant, etiam qui antè gravibus criminibus fuerant af-  
fines. Ex quibus satis clarum ac perspicuum est, nullas esse gra-  
tiæ partes, quæ hac prophetia non contineantur. Sed adde ad-  
huc ex glossa ordinaria: Et qui non habetis argentum: (arrige aures,  
Becane) gratia salvi facti estis. Et alibi: Gratia accepistis, gratis date. Quæ  
quidem ex Hieronymo sumta sunt, ut rursus videat Becanus,  
etiam Hieronymum, quem solum laudavit testem, non coer-  
re verba hujus prophetiæ intra gratiæ hujus temporis ter-  
minos.

LIII. Quintum argumentum nostrum adfert Becanus  
§.10. ac sumit ex illo Luc.17.v.10. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta  
sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus. Certè si inutiles, quid meremur? Ar-  
gumenti vis hæc est: Nullus servus, qui ab herbo meretur est  
servus inutilis: At quicunq; homines faciunt omnia præcepta,  
sunt servi inutiles; Ergo nulli homines facientes omnia præce-  
pta, ab herbo merentur. Minor probatur: Qui omne illud, quod  
faciunt, debent, nihil merentur; At omnes homines facientes  
omnia præcepta, faciunt quod debent: Ergo omnes homines  
facientes omnia præcepta nihil merentur, proindeq; sunt servi  
inutiles. Erat enim hic servorum status, ut non, quemadmodum  
Mercenarij certis quibusdam terminis definitam haberent ser-  
vitatem: sed, ut sic dicamus, penè infinitam: saltem hoc sensu,  
ut nullum omnino sit genus officii aut laboris, quod ipsum  
non debeant. Quod ipsum in parabola satis exprimitur, nem-  
pè agi de mancipiis. Quod Barardus & Salmaron agnoscunt, li-  
cet Porsanus & alii aliter sentiant.

LIV. Sed quid Becanus? Primum nos reprehendit, quod abutamur scripturis. Respondeo, inquit, hinc primum apparet, quomodo adversarii abutantur scripturis. Nam paulo ante objecerunt, nos esse filios, & vitam eternam deberi nobis titulo hereditatis sine ullo nostro labore: Nunc obiciunt, nos esse servos inutiles, quibus nihil debeatur. Nimirum hoc agunt, ut veritatem oppugnant, quocunq; modo hoc fiat.

LV. Respondemus, si hoc est abuti scripture, non nos primi, sed ante nos Christus scripture pessime abusus est: quippe a quo ita loqui & argumentari didicimus. Is enim Joh. 15. v. 15. sic alloquitur suos discipulos: Non post hac vos dico servos: quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audivi a Patre meo, nota feci vobis. Et Matth. 25. v. 21. & 23. Ad justos dispensatores dicit, Euge, serve bone, & fidelis. Eoque ab inutilibus servis distinguit. Nunc vero Luc. 17. obicit: ipsos esse servos inutiles, quibus nihil debeatur. Quid ergo Christus (judice Becano) aliud agit, quam quod veritatem oppugnet, quocunq; modo id fiat, sibique pessime contradicat?

LVI. Sed salva res, calumniatores, & magni nugones sunt Becanus & Jesuitæ. Ut enim v̄t̄ egypte faciamus; Nullibi servos utiles Christus docuit, sed fideles dixit. Non autem idem esse quilibet ex ipsis verbis potest discere. Hos namque servos inutiles dixit, qui tamen omnia fecerant, quæ mandata erant. Jam vero dic sodes possitne aliquis facere omnia, quæ mandata sunt, & non esse fidelis? Si id absurdum est: tum vero quia qui omnia facit, quæ debuit, est inutilis; & idem tamen fidelis; utiq; ipse quoque fidelis est inutilis. Optima enim est sequentia: Qui omnia facit, quæ mandata sunt, est inutilis servus. Qui omnia facit, quæ mandata sunt, est fidelis servus. Ergo fidelis servus est inutilis servus. Et si fidelem servum & inutilem, servum optime convenire, & uni tribui possunt.

LVII. Obicies: Inquit, Christus, numquid gratiam habet servo illi, qui facit, quæ ei imperaverat? Non puto, ex verbis hisce colligi: quod judicet Dominus, herum nullam habere gratiam servo debita facienti: Ergo nec Christus habet neque refert gratiam servis jussa exequentibus. En ita colligit Becanus, quando inquit,

quit, nos ex verbis Christi objicere: nos esse servos inutiles, quibus nihil & sic nego, ulla gratia debeatur: proindeq; Christum nego habere neq; referre gratiam omnibus servis jussa exequentibus. Habeat certe Becanus hanc objectionem unde volet, à nobis certe non potuit: qui & confitemur & profitemur, Christum multa habere, multam referre gratiam fidelibus suis servis exercentibus se strenue in Legis observatione. Et inde dictum bene scimus & agnoscimus. Faciens misericordiam in millibus, qui servant mandata, Exod. 20. v. 6. Qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, Gal. 6. v. 16. Talib. hostius evaperetur delectatur Deus. Hebr. 13. v. 16. Negamus ergo consequentiā Jesuitarum. Sed hoc sequitur: quod gratia illa sive merces, quam Christus, sive habet sive refert observantibus mandata, non debeatur ex merito condigno. Atq; sic non nos, sed Jesuitae oppugnant veritatem quo cunq; possunt modo.

L VIII. Porro Becanus cornutam opponit aciem: Aut Christus illos vocat servos inutiles, qui servant omnia præcepta, aut eos, qui non servant. Si prius: Ergo servi Dei possunt omnia præcepta servare, quod est contra adversarios. Si posterius, nihil contra nos concluditur. Fatemur enim nos, qui non servant mandata, servos esse inutiles, & non mereri vitam eternam.

L IX. Sed non semper sunt invictæ acies cornutæ. Imo hæc ridicula. Videamus: Servi inutiles sunt, vel qui servant omnia præcepta: vel qui non servant, sed quædam transgreduntur. Si isti: Ergo pereunt Papistæ, qui per bona quædam opera satisfieri posse negant aliis operibus malis: quæ certe non est inutilitas: Si illi: Ergo vicimus nos, qui bonorum operum impugnamus merita.

L X. Enim vero servos inutiles utrosq; intelligimus: Illos inquam, qui totam (si qui sint) legem implet; & illos, qui partem duntaxat. Christum agere de primis non potest negari. Expressa enim & diserta sunt verba: si feceritis omnia, non autem, si transgressi fueritis aliquam partem. Quod si vero inutiles illi, quid de reliquis dicemus?

X L L. Verum si primi, arguit Becanus, ergo possunt omnia præcepta servari. Quærimus à quibus? An à beatis in cœlo; an à via-

D 2 tori-

toribus in terra. De illis nulla est controversia, cùm nemo ex nostris unquam negaverit, à sanctis in cœlo beatis legem impleri: Et hoc sensu legem non difficilem impleri, quamquam tum negent Majorem. Sin viatores: nos vero negamus consequiam. Perspicuum enim est, non ideo adserere Christum, fieri à quoquam omnia, quæ sunt mandata: sed tantum *υποθέτως* ponere, & non simpliciter concedere. Quod etiam Jansenius observavit inquietus: *Quod autem precipit, ut dicamus servos inutiles, cùm omnia præcepta impleverimus, non sic accipiendum, quasi quis sit, qui omnia adimpleverit ( in multis enim, inquit Jacobus, offendimus omnes ) sed sensus est, etiam si fecerimus omnia, tamen agnoscite vos servos inutiles.*

L XII. Ergo geminatur argumentum. Si enim tum, quoq; futuri sumus servi inutiles, si impleremus omnia: quanto magis cum non implemus? Expressit idem Theophilactus in hunc locum: si autem, inquit, cum omnia mandata fecerimus, neq; tum debemus magnum quoddam sentire: quantum peccamus, cum maximam partem mandatorum Dei non perficiamus. Et Stella: Docemur hic, omnem præsumptionem & vanam gloriam vitare. Si enim hi se servos inutiles reputare debent, qui omnia impleverunt præcepta, quid nobis incumbit, qui in tam multis offendimus, & ea ipsa, quæ forsan implemus præcepta, tam imperfectè implemus, ita ut juxta Isaiam universæ justitiae nostræ sint velut pannus menstruatae. Ergo nemo suis operibus quantumvis bonis apud Deum meretur.

L XIII. Magna vis argumenti, & verò Beccanus sensit: Adeò vertit se in omnes formas, ut eludat: quando sic pergit: verba Christi, possunt habere triplicem sensum: primus est, nos ex nobis esse servi inutiles, quia licet faciamus omnia quæ præcepta sunt, non tamen nostris viribus, sed gratia Dei facimus. Ita explicat Ambrosius lib. 8. in Lucam. Vnde dupliciter possumus nos ipsos considerare. Primo quoad nostras vires, quatenus ex Adamo nascimur, & ita sumus servi inutiles. Secundò quoad cooperationem gratiæ divinæ, quatenus in Christo renascimur, & ita sumus servi inutiles, juxta illud 2. Tim. 2. v. 21. Si quivis evanundaverit se ab ipsis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino &c. Secundus sensus est, nos esse servi inutiles respectu Dei, etiam si omnia præcepta servemus, quia nullam

nullam utilitatem Deo præstamus, nec ipse honorum nostrorum indiget. Ita exponit Beda in Commentario. Hinc etiam patet, nos posse vocari servos utiles & inutiles, diverso respectu. Utiles respectu nostri, quia quicquid boni facimus per observationem mandatorum, cedit in nostrum commodum & utilitatem: nobis serimus & metimus. Inutiles respectu Dei, quia nihil utilitatis illi accedit ex nostro labore & industria. Tertius sensus est, nos esse servos inutiles, etiam si omnia precepta exequamur, quia, nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisse, mercedem ex justitia potuissimus a Deo petere. Ita exponit Augustinus serm. 3. de verbis Domini. Vnde rursum apparet, quomodo dicamur utiles, quomodo inutiles. Nam quicquid facimus, inutiles sumus ad mercedem vite æternae, secluso divino pacto, inutiles, interveniente pacto & promissione. Ex his sensibus eligant adversarii, quem velint, & facile advertent, se nihil contra merita honorum operum efficere. Hoc miror, cum tam diligenter inquirant testimonia Scripturae, quibus vocamur servi inutiles. Sane idem Christus, qui dixit Luc. 17. v. 10. Dicite, servi inutiles sumus, alibi dixit, Matth. 25. v. 23. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.

L X I V . Respondemus, Primum sensum esse prorsus alienum à verbis Christi ; quandoquidem illos servos dicit inutiles, quos alloquitur: illi autem sunt discipuli, ut constat ex initio capituli. At erant jam tūm Apostoli in gratia. Deinde illos dicit servos inutiles, qui & quatenus servant mandata. Unde argumentum est certum: Quicunque servant omnia mandata, sunt in gratia : Qui hic dicuntur servi inutiles, servant omnia mandata : Ergo qui hic dicuntur servi inutiles, sunt in gratia. Majorem probant ipsi Jesuitæ, agnoscentes sine gratia nullum hominem posse perficere legem. Et diserta sunt Christi verba Joh. 15. sine me nihil potestis facere. Et Pauli: Deus est, qui efficit in vobis, ut & velitis, & ut efficiatis. Minor manifesta ex verbis Christi. Quare necessariò intelligamus ejusmodi servos, qui & quatenus possunt sunt in gratia, esse inutiles.

L X V . Ambrosius est contra Beganum. Sic enim pergit: Si tu non solum non dicas servo aranti, aut oves pascenti, transi, recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis: ita nec in te patitur Dominus unius usum esse operis & laboris, quia dum vivimus debemus

D. 2

semper

semper laborare. Argumentor ergo: Qui ita Deo sunt obstricti ad perpetua servitia, ut ne gratiam quidem ipsis debeatur, illis nec merces debetur: Atqui omnes, de quibus dicitur in Evangelio, quod præcepta omnia servaverint, proindeq; in gratia Dei sint, ita sunt Deo ad perpetua servitia obstricti, affirmante Ambrosio, ut ne gratia quidem ipsis debeatur: Ergo omnibus, de quibus dicitur in Evangelio, quod præcepta omnia servaverint, proindeq; in gratia Dei sint, affirmante Ambrosio, nulla omnino debetur gratia.

LXVI. Atquè hanc quoq; Theophylacti esse sententiam, ex ejus verbis est perspicuum: Monstratur per parabolam hanc, quod non oporteat extolli in bono quopiam opere, imo neg<sub>3</sub> in omnium mādatorum impletione. Servo enim necessitas incumbit, ut faciat mandata Domini, neq<sub>3</sub> ut bonum opus sibi adscribere debet. Quippe qui non operabitur, dignior est multis plagiis: cum autem operatus fuerit, contentus sit, quod plaga effugerit. Proinde non oportet de hoc precium vel honorem quarere. Liberalitatis enim Domini fuerit dare imo largiri ei. Igitur & qui servit Deo, etiamsi mandata perficiat, non debet extolli. Nihil enim magnum fecit; sed vae erit ei, nisi fecerit: sicut Apostolus dicit 1. Cor. 9.: vae mihi, nisi evangelizavero. Proinde si dona fuerit asseditus, non debet in illis superbitare, & de eis se jactare. Beneficia enim sunt, per misericordiam Dei concepta, non quod debeat ei aliquid Dominus, imo servus debet Domino suo, ut faciat omnia ejus mandata &c. Satis diserta & perspicua hēc sunt: quod illis operibus, licet peragantur cooperatione gratiæ diuinæ; nihil omnino mereantur; sed quicquid à Domino retribuatur, non sit meritum justitiæ, sed donum per misericordiam Dei concessum: *al si lib. 1. moeſ. orac. 10. q. 10. in morib. ador. L X V I I p. 1.* Secundum sensum quod attinet, nempe inutilles nos servos dici respectu Dei, non vero respectu nostri, nūgamentum est. Parabola enim est, quæ à Christo proponitur, omnis autem parabola est similitudo, in qua necesse est dōto-  
ri similitenre esse. *wyz. Cœci.* Si ergo in hac servus sit inutilis, in illa quoq; oportet esse servum inutilem. Absolum enim planè es-  
ser, si dicas: Ut servus ille nihil sibi profuit; sic & vos nihil Deo prodestis. Quare hoc unice expendendum, an ponatur servus  
inuti-

inutilis sibi, an vero Domino suo utilis, & res erit expedita & plana. Quod facile fiet, si recte attendantur verba Christi, quibus servus non nominatur simpliciter: tum enim forsitan aliqua ambiguitas esset; cum manifestum sit, servos alios esse utiles a lios inutiles: Verum idem qui servus dicitur, statim describitur arans, pascens & quidem tota die. Qui vero hujusmodi sunt, non possunt numerari inter servos inutiles Domino: Ergo inter utiles. Deinde additur: num gratiam habebit ei? Sancte non id utilitatem Domini potest significare, sed potius servi: Utilitas enim Domini a servo est in Dominum: At gratia haec a Domino in servum est. Quod confirmatur ex Luc. 6. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis erit gratia? Si benefacieris iis, qui vobis benefaciunt, quae vobis erit gratia? Addit Lyranus: id est, merces a Deo reddenda in vita eterna. Certum ergo est inutiles esse intelligendos servos, non Domino sed sibi, nempe qui omnibus suis operibus, nihil sibi mereantur.

LXVIII. Tertius sensus nititur falsa hypothesi: Deum sub pacto operum meritoriorum nobis vitam eternam promisso: quae inquam hypothesis falsissima est: quandoquidem tantum sub pacto solius fidei sine operibus promissio vitae eternae nobis facta est: Marc. 16, v. 16. qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Rom. 4, v. 5. ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. Gal. 2, v. 16. quoniam scimus, non justificari hominem ex operibus Legis nisi per fidem Iesu Christi. Falsa ergo hac hypothesis demonstrata, quicquid superstruxerit Becanus, tanquam falsum & absurdum per se corruet.

LXIX. Desinat tandem mirari Becanus. Nam causa admirationis non ipsi a nobis praebetur: quippe qui illa ipsa dicta, quibus servi dicuntur boni & fideles, bene scimus, & allegavimus quoque: nos potius miramur, ac mirati sumus in precedentibus, tam insulsum ac jejunum Theologum esse Becanum, qui planè ignorat, qualis Christo fidelis bonus, & inutilis servus dicatur.

LXX. Sextum argumentum (pergit Becanus s. 18.) sumitur ex illo Rom. 8, v. 18. Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

gloriam. Hinc patet nullam esse proportionem inter nostra opera, & vitam aeternam. At inter meritum & premium debet esse proportio. Respondeo. Sicut scriptura videtur his significare nostra opera non esse digna praemio vitae aeternae: Ita alibi videtur contrarium asserere Luc. 20. v. 35. Qui vero digni habebuntur seculo illo & resurrectione &c. Et 2.Thes. 1.v. 5. Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini. Et quia Scriptura non est sibi ipsi contraria, explicandum est, quo sensu utrumque verum sit. Ac primo, si spectemus durationem temporis, nulla est proportio inter opera presentia & futuram gloriam: Nam haec perpetua est, illa momentanea sunt. Si vero spectemus gratiam, a qua procedunt opera meritoria, jam inter illa & gloriam cœlestem est proportio, quia gratia est semen gloriae, ut loquuntur Theologi. Sicut ergo sufficiens est proportio inter semen & arborem: ita inter gratiam & gloriam. Quod autem haec proportio sufficiat, licet nulla sit proportio durationis, patet ex illo 2.Cor. 4. v. 17. Id quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Hic utrumque quod diximus, satetur Apostolus. Alterum, quod opera nostra sint momentanea, gloria vero aeterna; Alterum, quod nihilominus opera momentanea operentur pondus aeternæ gloriae. At quomodo operantur? proculdubio non physicè, sed meritorie. Haec autem vis merendi est a gratia. Secundò, idem patet exemplo Christi. Nam passio ejus fuit momentanea, & tamen per eam meritus est nobis vitam aeternam. Tertio potest idem confirmari a contrario. Nam peccata impiorum in hac vita transitoria sunt: At pena, quam merentur, aeterna est. Quare? quia sicut bona opera procedunt a gratia Dei, ita peccata ex formalí, vel virtuali contemtu Dei. Hic autem contemtus habet proportionem cum aeterna pena, sicut gratia cum aeterna vita.

LXXI. Respondeo i. sacram scripturam quidem sibi ipsi non esse contrariam, si modo Beccanus scripturæ non esset contrarius. Quod autem iste hoc vitio heretico labore, statim est manifestum ex falsa oppositione loci Rom. 8. v. 18. & deinde locorum Luc. 20. v. 35. & 2.Thess. 1. v. 5. Quâ fingit, ut Rom. 8. negatur passiones nostras hujus temporis esse condignas ad futuram gloriam, ita idem de illis negari, proindeque contrarium dici, nempe dignas esse ad futuram gloriam, dictis hisce posterioribus. Quod falsissimum est. Posteriora enim haec dicta non loquuntur de

tur de passionibus ipsis; sed de personis, quarum sunt passiones. Ergo non est idem, sed diversa sunt subjecta: circa quæ nulla sit oppositio. Sic filio Patris cuiusdam bene meriti benefacimus propter merita Patris., licet ejus opera beneficiis illis non sint digna; eodem modo digni habentur justi seculo ac resurrectione, quia sunt filii Dei, licet ipsorum opera non sint condigna, & id non mereantur. Ut ergo ibi non opus est explicatione, quomodo hoc dicatur de operibus, illud de persona ipsa, nempe filio, cum nulla sit oppositio apparet; sic neq; illorum locorum explicatione ac limitatione aliqua querenda est conciliatio, cum ea non indigeant, propterea quod neq; in illis vel apparet detur oppositio, ne dum contradictione, ut patet.

LXXII. Deinde concessionem illam, quod si durationem temporis spectemus, nulla sit proportio inter opera praesentia, & gloriam futuram, acceptamus: Propter gratiam vero concedendam esse proportionem, & passiones nostras hujus temporis condignas esse statuendas ad futuram gloriam, pernegamus. Manet enim immota nostra hypothesis, ab ipsis Pontificiis asserta, & à Gregorio de Valenta tom.2. in Thomam pag. 1382. comprobata, qua inter requisita meriti exigatur, ut res oblata sit precio & dignitate pari, quam quis vicissim accipit. Jam subsumamus: atque passiones nostræ sunt ejusmodi, quæ non sunt proportionatae vel pares futuræ gloriæ, proindeq; multominus alia opera: Ergo non sunt neq; illæ, neque haec meritoria. Minor probatur dicto Apostoli à nostris allegato Rō. 8., ubi diserta sunt verba: *passiones nostræ non sunt condignæ ad futuram gloriam.* Exceptio Jesuitæ, Pauli verba tantum secundum quid intelligenda esse, nempe tantum de proportione temporis, & non de proportione totius substantiae operis, nulla est. Nam illud hujus temporis non additur ab Apostolo, ut eo limitetur illa non condignitas, sed ad descriptionem passionum, ut sit sensus: *passiones, quas sustinemus in hoc tempore seu in hoc seculo,* illæ non sunt condignæ: Quod ipsa series verborum satis docet.

LXXIII. Cùm igitur hoc certum sit, certum quoque erit, filios Dei in dictis posterioribus non dici dignos futuro seculo,

culo, propter illas passiones. Esset enim manifesta contradictione quæ Paulo non tribuenda. Quod autem ipsorum operibus Beccanus statuat condignitatem tribuendam esse ex addita gratia, respondemus, ista gratis fingi sine ulla probatione, & Theologi, qui dicunt gratiam infusam esse semen gloriae hoc sensu, non Theologi, sed Matæologi sunt. Nam dicta allegata nihil ejus probare probavimus. Deinde neque adhærere ejusmodi gratiam nostris operibus in actu justificationis certum est: quippe quæ demum grata fiunt, quando fides infunditur, ut fatentur ipsimet Papistæ: At existente in nobis fide prius fit justificatio, quam opera nostra sanctificantur, & Deo grata fiunt. Quandoquidem in actu justificationis nulla concurrit gratia interna ipsi homini communicata: sed tantum misericors Dei favor & clementia, nos propter Christum & ejus meritum, non nobis inhærens, sed fide apprehensum, justos pronunciat: quod quando factum est, tum demum sequuntur bona opera.

LXXIV. Quod autem Apostolus Paulus Rom. 8. afflictiones fidelium, quatenus acceperunt Spiritum sanctum, proindeque in gratia sunt, & operante in illis Spiritu sancto fiunt, indignos sive non condignos dicat ad futuram gloriam, ex contextu est manifestissimum: qui ita se habet: Etenim, qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Non enim accepisti Spiritum servitus iterum ad timorem: sed accepisti Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Ille Spiritus testatur una cum Spiritu nostro, quod simus filii Dei. Quod si filii, igitur & heredes; heredes quidem Dei, cohæredes verò Christi, si quidem simul cum eo patimur, ut & una cum eo glorificemur. Nam statuo minime esse paria, quæ præsenti tempore perpetimur, futura gloriae in nobis revelandæ.

LXXV. Dic sodes, annon hic manifestis verbis loquatur Apostolus de fidelibus, quatenus sunt filii Dei, & quatenus acceperunt Spiritum sanctum, & ab eo in actionibus passionibusque suis ducuntur? En ab hoc Spiritu dicit, nasci illam confidentiam, qua certi sumus, nos esse filios Dei, & ab hac filiatione nasci jus hereditatis: Et huic juri additam conditionem una patiendi. Hæc quæso Christiane perpende, & dic, quomodo

modo à Spiritu sancto esse possit certitudo filiationis : ab hac certitudo hæreditatis: hujus hæreditatis conditio patiendi , & tamen subito passiones considerari absq; spiritu Dei, ac non aliter ac in Caino, vel etiam Iscariota? Quomodo etiam sine Spiritu sancto possunt intelligi, vel considerari afflictiones, in quibus filii Dei à Spiritu S. ducuntur , & ut patienti animo perferant, disponuntur v.14. ? Quomodo etiam possunt sine promissione considerari, de quibus tamen nec longo intervallo , sed statim & immediatè dicitur, hæredes sumus si patiamur? Anne hæc nulla promissio?

LXXVI. Unde sic argumentamur : Quæ afflictiones sunt certitudinis filiationis, hæreditatisque conditio, in quibus etiam filii Dei à Spiritu sancto ducuntur, reguntur, & ad patientiam disponuntur, tandemque promissionem habent compensationis in futuro seculo; illæ non possunt considerari, vel accipi sine gratia Dei, ut sunt in aliquo Caino, vel in ipso quodam alio homine: sed oportet considerentur, quatenus sunt in gratia, à gratia, à Spiritu sancto in fidelibus operante, eosque ducente: Atqui afflictiones, de quibus hic dicit Apostolus, quod minimè sint pares futuræ gloriæ, in nobis retegendæ, sunt tales, nempe sunt certitudinis hæreditatis conditio &c. Ergo afflictiones de quibus hic dicit Apostolus, quod minimè sint pares futuræ gloriæ in nobis retegendæ, non possunt sumi vel considerari sine gratia Dei, sed oportet considerentur, quatenus sunt in gratia, à gratia, à Spiritu sancto, in fidelibus operante, eosque ducente.

LXXVII. Ad dictum 1. Corinth. 4. v. 17. supra responsum est. Breviter: Verbum operari non describit hic causam efficientem, sed ordinem mediorum, per quæ Deus suos ducit ad vitam æternam, Act. 14. v. 21. Est ergo operari Apostolo insequiri, quod præmia sequantur militiam piorum, ut civilem & mundanam militiam interdum sequuntur donativa. Neque ergo physicè, neque meritorie operari hic significat: uti etiam falsum est, vim aliquam merendi dari à gratia. Dicitur quidem hoc à Becano , & vices inculcatum, nunquam vero probatum est:

Scriptura ejusmodi mercedem planè ignorat. Exemplum Christi dissimilimum est. Is enim absolutè & perfectè Patri præstít obedientiam, & absolutè perfectum potuit persolvere, & persolvit etiam λύτρον, quia Deus & homo est, & sic infinita virtute præditus: quod nemo de nominibus affirmabit. Hinc etiam proportionem esse inter nostram justitiam & nostram glorificationem, nulla dixit scriptura, nullus unquam concessit sobrius Theologus, qui novit, quantum absimus à Legis perfectione, quique legerit minimè esse pares passiones nostras gloriæ revelandæ: quod sanè de Christi passionibus nemo hactenus dictum audivit. De diversitate bonorum & malorum operum sèpius dictum est; cur illa æternam pœnam mereantur: hæc vero non possint vitam æternam mereri; non ergo est, ut actum agamus.

LXXVIII. Septimum argumentum (pergit Beccanus §.12.) Christus meruit nobis vitam æternam: Ergo eam nostris operibus non meremur. Confirmatur, quia vel Christi meritum per se sufficit, vel non. Si sufficit, frustra exiguntur nostra merita. Si non sufficit, facimus illi injuriam. Respondeo. Hoc argumento valdè triumphant adversarii, cum reverè nullius sit roboris. Putant enim merita nostra opponi meritis Christi, ac proinde, quantum laudis tribuitur nostris, tantum detrahi meritus ipsius. Non ita est. Contra potius res habet. Merita nostra nascuntur ex meritis Christi, & omnem vim suam inde accipiunt. Vnde quicquid laudis & dignitatis habent, totum redundat in laudem & dignitatem meritorum Christi. Hoc optime declarat similitudo, qua utitur Christus Joh.15.v.4. Ego sum vitus, vos palmites. Sicut palmites non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Quis dicat, detrahi aliquid de gloria vitiis, si palmites ipsias multum fructum adferant? Nemo sane mentis. Nam quicquid vivi succi & humoris habent palmites hoc totum habent à vite. Vnde, quo palmites magis frugiferi, eo vitiis magis laudanda. Insani ergo Calvinistæ, qui clamant, detrahi de gloria Christi, si servi ejus fructum faciant. Quomodo enim fructum faciunt, nisi quia in Christo sunt, & ab eo succum & humorem divinæ gratiæ participant? Quicquid ergo laudis est in meritis nostris, totum Christo adscribendum est.

Cum autem obiciunt, alterutrum sequi, aut meritum nostrum non requi-

requiri, aut se requiritur, meritum Christi non esse sufficiens, neganda est consequentia. Nam ex eo, quod meritum nostrum requiritur, non recte colligunt meritum Christi esse insufficiens. Non enim nostrum requiritur propter alterius insufficientiam, sed quia Deus sic ordinavit. Imo hinc colligitur, meritum Christi esse efficacissimum. Nam non solum obtinuit nobis ius vita aeterna, sed etiam vim & virtutem acquirendi vitam aeternam per propria merita.

LXXIX. Respondemus primum: Omnidem triumphamus hoc argumento: quia nunquam a Pontificiis solutum est, uti neque jam modo a Beccano solvit. Deinde non quæstio est, quid faciat Beccanus, sed quid Scriptura. Hæc vero in negotio justificationis meritum Christi fide applicatum, sive applicandum & opera sive merita nostra opponit, Rom. 4.v.4.5.6. Gal. 2. v. 16. cap. 3. v. 9. & seqq. Eph. 2. v. 8. 9. &c. Quia ergo opponuntur merito Christi, certum est, quantum laudis tribuitur nostris meritis, tantum detrahi ipsius meritis.

LXXX. Ratio, quam pro sua opinione adfert, nulla est. Probetur ex scripturis, propterea Christum meritum esse, ut nos mereremur. Contrarium docet Scriptura, Christum oportuisse mereri, quia nullus homo poterat. Non verò est verum, si vas solvit, ideo debitorem solvere debere. Contrarium enim dictat sensus communis: si vas solvat, non debere debitorem ipsum solvere. Itaq; Paulus dicit Phil. 2. Christum delevisse chirographum nostrum.

LXXXI. Dicunt alii Christum esse precatum, ut precaremur, obedisse, ut obediremus, passum esse, ut pateremur. Sed non bene ita dicunt, nisi intelligant exemplum nobis ab ipso praebitum. Scias ergo distinguendum esse inter opera legalia communia; & inter illa, quæ propriè pertinent ad officium mediatoris. Illa effecit Christus etiam in hunc finem, ut ipsum imitaremur, nempè ut inuocaremus Deum, legi obediremus, afflictiones patienter ferremus &c. Quæ verò præstitit specialiter tanquam & quatenus mediator, id est, ex ipso propriè mediatoris officio: hæc negamus debere, hæc negamus per se nos imitari. Sic incarnatus est pro nobis: nec tamen ut nos pro nobis incarnaremur; passus est pro nobis, nec tamen ut nos pro no-

bis pateremur; lavit peccata nostra suo sanguine, non ut nos nostra delicta nostro sanguine lavaremus: sic Christus meritus est pro nobis, non ut nos pro nobis mereremur: sic intercessit pro nobis, non ut nos pro nobis intercederemus: mereri enim & intercedere hic idem videntur.

LXXXII. Deinde quod attinet instantiam ex Johan. 15.v.4. desumtam: *Quis dicat detrahi aliquid de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum ferant?* Respondemus. Prius Becano probandum esse, bona nostra opera ingredi justificationem, & tum instantiam dare. Non conceditur Becano fingere, quid possit esse, sed asserere quid revera sit. Nempe dicto illo Johan. 15. significari ac doceri, sanctificationem nostram a CHRISTO ita pendere, ut ejus solius vigore bene operemur: Merita vero nostra a meritis Christi ita pendere, ut & ipsi mereri possimus, neque dicto illo allegato, neque ullo alio loco scripturarum probatur, quin potius merita nobis omnino adimuntur.

LXXXIII. Tertio calumnia est, clamari a nobis, *detrahi de gloria Christi, si servi ejus fructum ferant:* id enim non dicimus; sed tum detrahi statuimus, si nostra opera dicantur mereri vitam æternam, quod est proprium officium, & opus Servatoris & mediatoris, propter quod Jesus dictus est; Et de hoc suo officio dicit Isai. 48. v. II. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hinc sic argumentamur: Qui gloriam sui servatoris dant sibiipsis & suis operibus; illi detrahunt de gloria CHRISTI: Atqui Jesuitæ singentes, se suis operibus mereri vitam æternam, gloriam sui Servatoris dant sibiipsis & suis operibus: Ergo Jesuitæ detrahunt de gloria CHRISTI. Nega hanc consequentiam Papane. Si negas, inficiaris ipsam Scripturæ consequentiam.

LXXXIV. Responsionem, quam singit Jesuita, nititur falsa rursus hypothesi. Falsum enim est, centies diximus, DEUM sic ordinasse; sed Pontificij dando honorem Christi sibi-  
sq. aid

Sibiipsis & operibus suis, sique adhuc detrahendo merito Christi, sua merita subordinant Christi merito, illisque tribuunt, quod solius meriti Christi est. Quocirca temerario, stolido ac improbo conatu præsumit Jesuita vim meriti Christi isto modo amplificare. Si enim ejusmodi stulta amplificatio procederet, eadem ratione ac facilitate dicere possem, tantam meriti Christi esse efficaciam, quod efficiat, ut etiam gravissima peccata contra conscientiam, & in Spiritum sanctum sint meritoria vitæ æternæ.

LXXXV. Ad summam! Tota hæc disputatio nititur falsa illa hypothesi, quam ultimo loco ponit Becanus, *Christum non solum nobis obtinuisse jus vitæ æternæ, sed etiam vim & virtutem acquirendi vitam æternam per propria merita*. Verum id non simpliciter ac nudè poni, sed probari debebat. Sed qui potest, cùm tota Scriptura reclamet, & contradicat?

F I N I S.



etiam obiectis quibus exponit etenditur  
etiam in conatu. Et quod velut minister  
recepimus et hoc in eum ducimus  
etiam in conatu. Et quod velut minister  
recepimus et hoc in eum ducimus  
etiam in conatu. Et quod velut minister  
recepimus et hoc in eum ducimus  
etiam in conatu. Et quod velut minister  
recepimus et hoc in eum ducimus  
etiam in conatu.

Et hinc inquit deo in sermone LA. V. X. XI.  
Et quod velut minister ducimus super seque  
etiam in conatu. Et quod velut minister  
recepimus et hoc in eum ducimus  
etiam in conatu.

LA. V. X. XI.

Et hunc inquit deo in sermone LA. V. X. XI.

Et hunc inquit deo in sermone LA. V. X. XI.

Et hunc inquit deo in sermone LA. V. X. XI.

Et hunc inquit deo in sermone LA. V. X. XI.

99 A 6900

ULB Halle  
002 622 092

3




SB

Rebro

VDT7





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



43  
TERTII  
in Confessionem

PTIO X.

nens

RTICVL VI.

STIONE

justorum

Vitæ æternæ,

posita

emia VVittebergensi

S I D E

RTINI S.S. Th.

Primario, Facult. Theol.

oli Arcis Præposito,

NDENTE

N E Brunneman

Marchico.

Collegii Veteris

18. Maij.

BERGÆ,

s AUERBACH, Acad. Typogr.

DC XXX.